







1696.

1. Bodinus, Henricus, Prof. jur. . . . Decanus: Programmata inaugu-
rale de fama, quae ad lectiones cursorias Dr. Henrici Ernesti
Kertneri, . . . quas ad tit. ff. de his qui nos. in fam. . . .
habebit . . . inventas.

2^a. Bodinus, Henricus: De jure inhumaniori. 25 exempl.

3^a. Bodinus, Henricus: De conditione temporis impleta. 25 exempl.

4^a. Bodinus, Henricus: De contractibus summarum potesta-
tum. 25 exempl.

5^a. Bodinus, Henricus: De collatione successionum liberu-
rum. 25 exempl. 1696. 1757.

6^a, 6^a. Bodinus, Henricus: Disputatio juridica inaug.,
exhibens vindicias pactorum juris Romani ad Simon-
thianum nec hodie ex nudo pacto actionem competere.
3 exempl.

1696.

7^o ^o Bodinus, Henricus: Disputatio juridica in qua, exhibentur
errores communes circa matrimonialia. 2 Exempt. Acc.
1698 et 1705.

8^o ^o Bodinus, Henricus: De obligatione fori iuris Divini
2 Exempt. 1696 et 1711.

9. Bremeyser, Eius Rudolphus: De utilitate studii histo-
rici ex jurisprudentia tum Divina tum humana.

10^o ^o ^o Bremeyser, Eius Rudolphus: De inutilibus pactis
iuris Romani Divinoribus in foris Germaniae.
3 Exempt. 1696 et 1724.

11^o ^o ^o Bremeyser, Eius Rudolphus: De praestatione eversionis
in cessione nominis, secundum principia juris
naturalis et Romani. 2 Exempt. 1696.

12. Buddeus, Jo. Franciscus: Rationem status circa
severa... publice Divinet..

13. Cellarius, Christophorus: Flavius Josephi de Herodibus historia.

Rec. 1700.

14. Hoffmannus, Fridericus: De purgantibus specificis.

15. ⁺ Kestnerus, Henricus Ernestus: De jure correspondentiarum

2 Exempl.

16. Schneider, Joh. Friedmannus: Religio exors imperii

... ostenditur.

17. Simon, Joh. Georg: ... Facet. juris. ... prolegomena: et

lectiones cursorias de eo, quod interest factu p. 1. 13 ff.

Rat. Rem. Nob. ... et disputationem inaug. de uno

pro omnibus, a Zacharia Aculutho ... habendas ...

insertat.

18. Simon, Ju. Georg: De uno pro omnibus.

19. Simon, Joh. Georg: Facilem humanam et similitudinem
pulchritudinis caelestis figuratam occasione p. 17. si

quis p. de poenis ... publicae ... ventilati omi tra-
ponit.

7^o 19^a Stahl, Georgius Smetus: De anteaeratio naturali
sive spontanea morborum excussione et convalescen-
tia.

8^a

9.

10.

11

12



1577.

XXVII

1696 11^o 1165
1740

DISSERTATIO JURIDICA
DE

Præstatione evictionis

in cessione nominis,
secundum principia juris naturæ & Romani,

22

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,

Electoratus Brandenb, Hærede, &c. &c. &c.

IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRIDERICIANA

Consensu Illustris Facultatis Juridicae,
PRÆSIDE

ENNONE RUDOLPHO Brenneysen

Esenâ-Frisio, J. U. L.

d. 15. Maji Anno 1696.

IN AUDITORIO MAJORI


Examini Eruditorum submittit

CHRISTOPHORUS ELIAS Delhafen /
von Schöllnbach / Norimbergensis.

HALÆ, Typis CHRISTOPH. SALFELD, REGIM. ELECT. BRAND. Typogr.



1241



Q. D. B. V.

Cap. I.

SUMMARI A.

Quid sit evictiois præstatio. Fundamentum ejus. In negotiis lucrati-
 vis non præstatur, neq; in donatione, sive incipiat à promissione sive
 à traditione. Refutatur Carpzovius. §. 1. Nimia subtilitas Pauli
 in L. 36. de Evict. de totò. refutatur, ut & Favoleni in L. 23. ff. de
 usurpat. & usu cap. ut & in L. 11. S. f. ff. de A. E. V. & in L. f. C.
 de Eviction. §. 2. Quid sit cessio nominis. Nimia subtilitas
 Hüberi inter cessionem & mandatum in materiâ cessionis refutatur.
 §. 3. Respondetur ad ejus rationes. Explicatur L. 16. ff. de pactis
 quid sit, competere ante cessionem actiones utiles. Imperatores
 sapius mediam viam elegerunt inter subtilitates Jurorum & equi-
 tatem naturalem. Exempla. §. 4. differentia inter actionem
 mandatam & utilem in quo consistat. §. 5. Ex hac sententia optimè
 explicari possunt illæ differentia, quas Dd. faciunt inter actiones
 utiles & directas §. 6. Unde dignosci possit, an cessionarius instituat
 utilem an directam actionem. Quanam exceptiones opponi possint
 cessionario; communis sententia in dubium vocatur. Exceptio
 doli ipsi etiam opponi potest. Refutatur Ulpianus in L. 4. §. 28. ff.
 de dol. & met. exception §. 7. à cessione differt delegatio, quæ etiam
 sine stipulatione fieri potest. Respondetur ad dubia. L. 12. ff. de No-
 vat. est iniqua, ut & L. 19. in f. ff. eod.

§. I.



Um explicatio terminorum, quos Dissertatio
 nostra præ se fert, faciat ad formandos distin-
 ctos conceptus illius argumenti, quod in
 præsentì discutiendum suscepimus, operæ
 pretium erit, generalia quædam tum de
 præstatione evictionis, tum de cessione no-
 minis præmittere; & quidem per præstationem evictionis in-
 telli-

A



1242.

telligimus satisfactionem, quam venditor, vel alius titulo oneroso in alterum quid transferens, præstare tenetur accipienti, in casu si a tertio res illa evincatur seu vindicetur. Cum enim venditor precium acceperit, æquum est, ut in emptorem talem rem transferat, quam ipsi habere & retinere licet, alias enim emptor læderetur sine culpâ suâ. Et huic fundamento inintuntur omnia, quæ *in tit. de Evict. a Dd.* latè tractari solent; quæ etiam est ratio, quare in contractibus tantum onerosis evictionis præstatio locum habeat, non item in lucrativis, v. gr. donatione. Cum enim accipiens nihil hic dederit, contentus esse debet, si qualem qualem rem accipiat & huc spectat *L. 62. ff. de edilit. edict. donatorem non debere pati pœnam liberalitatis suæ add. L. 18. §. 3. ff. de donat.* Idque indistincte, siue donatio incipiat a promissione, siue statim cum traditione jungatur; eadem enim manet ratio, nec obligatio donantis eò augetur, quod non statim rem promissam tradiderit. Manet eadem natura & indoles donationis utroque casu; siue traditio fiat in continenti siue ex post facto, idem est juris; ut ita *Carpzovii p. 2. Constit. 34. def. 23. aliorumq;* sententia defendi non possit, qui statuunt, si donatio à promissione incipiat, donantem ad præstationem evictionis teneri. Omnis donatio incipit a promissione, & licet nonnunquam ipsa traditio conjuncta sit promissioni, naturâ tamen hæc semper antecedit. Traditio enim tantum est actus physicus, qui sine antecedente promissione nihil juris in donatarium transferre potest. Et sic, quod absurdum, in omni donatione præstanda esset evictio. Rationes *Carpzovii* nihil probant; Dicit *d. l. n. 3. si incepit a promissione donatio, nondum facta traditione, donator tenetur actione ad implenda promissa.* Hæc ratio huc non quadrat. Donator donatario obligatus est ad rem promissam tradendam, siue sit aliena siue propria; sed de eo non est quæstio. Id quæritur, an re aliena donatâ, & postea evicta donans teneatur ad præstandam evictionem? quæ duo differunt. Ratio, quæ prius probat, posterius non probat. Sed alii *Dd.* gravius instant ex *L. 1. C. de Jure dot.* ubi in præstatione evictionis in dote distinguitur ab Imperatore, utrum intercesserit promissio, nec ne? Priori casu conce-

1743.

conceditur actio ad evictionem, posteriori non item. Verum, ut alias responsiones ad illam L. 1. omittamus, dicimus simpliciter, a dotis constitutione ad donationem non valere consequentiam. Donatio est causa lucrativa, dotis, vero constitutio onerosa, uti patet ex famosa L. f. §. 1. ff. *quæ in fraudem credit.* L. 19. ff. *de O. & A.* Unde distinctio illa Carpzovii nec jure naturæ nec Romano fundata videtur. Habent quidem LL. Romanæ aliquas subtilitates in materia evictionis, à simplicitate juris naturalis recedentes, sed hanc ignorant. Lubet unam & alteram ex LL. hic subicere.

§ II.

Paulus in L. 36. ff. *de Evict. nave aut domo empta*, inquit, *singula camenta vel tabula empta non intelliguntur; ideoque nec evictionis nomine obligatur venditor, quasi evicta parte.* Mira philosophia, totam domum esse venditam, & tamen singulas ejus partes non esse venditas! Annon totum constat ex partibus? Si ergo totum est venditum, cur non etiam dicendum est singulas partes esse venditas? Regula est: *quod juris est in toto quoad totum, idem juris est in parte quoad partem.* Et cum in l. 1. ff. *de Evict.* concedatur actio ad evictionem, si pars fundi venditi evincatur, cur non idem obtinere debet parte domus evicta? Distinctio Doctorum inter partes homogenas & heterogeneas, petit principum. Unde non possumus non d. L. 36. referre ad nimias subtilitates Pauli, cujus ingenium admodum pronum fuisse videtur ad ejusmodi singularitates, a simplicitate rationis nimium recedentes. Simile est ratiocinium Javoleni in L. 23. pr. ff. *de usurpat. & usucap. Eum*, inquit, *qui ades mercatus est, non puto aliud possidere, quam ipsas ades: nam si singulas res possidere intelligetur, ipsas ades non possidebit.* Quibus verbis Jctus satis videtur id velle, quasi qui totas ades possideat singulas partes non possideat. Subtilis abstractio! Magna quoque subtilitas est in L. 11. §. f. ff. *de A. E. V.* ubi venditor tenetur emptori ad pretium rei venditæ evictæ restituendum, etiamsi expressa conventio intercesserit de evictione non præstandâ, addita ratione, quasi sit contra naturam contractuum b. f. ut emptor rem amittat & venditor pretium retineat. Quæ ratio videtur esse contra communem regulam; *Pacta dant*

1244.

legem contractui; & ea, que sunt naturalia contractuum, quo etiam pertinet evictionis præstatio, pacto remitti possunt. Naturæ contractuum b. f. non contrariatur, quo minus emtor juri suo possit renunciare. Etsi ratiocinium hoc Jcti recte se haberet, statuen- dum esset, ne quidem talem conventionem esse licitam, quâ emtor non tantum præstationem interesse, sed pretii restitutio- nem remitteret; quam tamen Dd. pro licitâ reputant; Ratio e- nim legis æque ad hanc conventionem applicari potest, ac ad priorem illam. Quando ergo Dd. hanc posteriorem conven- tionem concedunt, necessario rejiciunt rationem illam Jcti in d. L. Huc quoque referimus L. f. C. de Evict. ubi hic est casus: Primus vendit secundo fundum. Tertius fit fidejussor evictio- nis. Hic moritur. Relinquit heredem Quartum, qui nanciscit- tur dominium aliunde quam a defuncto, cujus est hæres. Queritur jam in d. l. f. an ex propria persona possit vindicare fundum illum? Affirmatur. Si analogiam Juris consideremus, negandum est. Heres enim debet præstare factum defuncti, nec potest evertere contractum, pro quo fidejussor, cujus he- res est, ipse spondat L. 2. §. 2. ff. de V. O. unde etiam he- redi venditoris denegatur evictio, etiam ex proprio jure in L. 14. C. de Evict. Cur non ergo etiam heredi fidejussoris? Nec enim apparet ratio differentia, præsertim cum in d. l. f. in fin. expresse addatur, evictionis causam manere, id est, heredem fidejussoris nihilominus ad evictionem præstandam teneri. Quid opus est ergo his ambagibus? cur non statim denega- tur evictio?

§. III.

Per cessionem nominis intelligimus talem actum, quo quis actionem suam sibi contra alterum competentem in alte- rum ita transfert, ut pro libero arbitrio illam instituere & utili- tatem inde percipere possit. Hic actus variis modis fieri potest, venditione, donatione &c. quamvis autem hæc definitio na- turam rei satis exprimat, aliqui tamen Jcti nescio quas sibi hic fingunt subtilitates. Huberus ad tit. ff. mandat. n. 5. inquit cesso- rem duabus rebus constare, altera titulo proprietatis, ut vendi- tione, donatione, altera mandato; Sed cum entia non sint multi-

1245

multiplicanda sine ratione, puto non necessarium esse in cessione duos fingere actus. Nam titulus quem vocant proprietatis, nihil aliud est, quam mandatum proprio nomine jus illud persequendi. Eo enim ipso dum jus meum in alterum alieno, ipsi do mandatum actionem illam instituendi. Et quid opus est mandatis actionibus ei, qui emit, cui donata, cui legata? qui plenam habet actionum proprietatem is adhuc mandatum impetrabit? Putat quidem *Dominus Author ad Inst. mandat. n. 2.* hanc ipsius sententiam non esse inanem subtilitatem, sed monstrante natura repertam; imo ex hoc duplici cessionis membro accurate putat dignosci posse, actionem directam & utilem cessionario competentem. Putat enim *ad ff. tit. mandat. n. 11.* directam esse, qua cessionarius tanquam mandatarius cedentis agat, utilem vero, qua facta tantum mentione tituli proprietatis aut translationis agat sine mandato. Sed puto has rationes non sufficere ad demonstrandum duplex membrum cessionis, sed principium petere. Sed audiamus alias. dicit *§. 3. ad Inst. mandat:* Ita natura comparatum est, ut res corporales ab uno in alium transferri queant; jura vero, que sunt res incorporales, ejusmodi translationem mutationemque sicut non recipiunt, sed penes eum cui semel acquisita sunt, manent: Causa igitur sive tituli prestant hoc, ut emolumentum omnisque juris translati effectus sit penes eum in quem translatio facta est: causa vero atque facultas agendi iis modis non transit, eo quod a persona separari nequeat. Verum ad hanc opus est mandato, per quod is, in quem jus translaturum est, loco ejus, qui jus transulit, fungitur ejusque nomine quasi procurator actionem instituit. Verum ut a posteriori incipiam, cum ad effectum & emolumentum juris alicujus etiam pertineat jus illud persequendi, cur non emolumento juris translato, jus illud persequendi translaturum dicitur? Et si prius illud per so- lam cessionem transferri potest, cur non etiam posterius? Hoc enim a priori dependet, & si illud a persona in personam transferri potest, etiam hoc potest. Differentia, quam ponit inter res corporales & jura, huc non quadrat; Nam non queritur utrum bona corporalia, & jura eodem modo

1246.

transferantur; sed id est in quaestione, utrum in translatione actionis sint duo distincti actus, cessio & mandatum.

§. IV.

Sed ad LL. provocat *Dominus Huberus* ad probandum duplex hoc membrum, & quidem ad *L. 16. ff. de pactis* in qua refertur, ex Edicto D. Pii emtori hereditatis competere actiones utiles contra debitores hæreditarios; ex quo vult probare, distinctum esse titulum proprietatis, seu venditionem nominis a mandato. Putat enim, hoc Edictum D. Pii ita esse intelligendum, ut, licet in cessione actionis mandatum fuerit neglectum, emtori ex titulo proprietatis competat nihilominus actio utilis. Sed hoc est iterum petitio principii. In *d. l. 16.* non dicitur emtori hereditatis ante cessionem competere utiles actiones, sed generaliter tantum dicitur, emtori competere actiones utiles. Sed forte quis instare posset, quid opus fuisset edicto D. Pii, si in *d. l. 16.* nihil aliud dicatur, quam emtori hereditatis & omnium eo pertinentium nominum, competere post emtionem actiones utiles, cum illa venditio jam per se sine Rescripto D. Pii sufficiens fuerit, ad actionem utilem transferendam? accedit ad hanc instantiam, quod in *L. f. C. quando fiscus vel privatus debitoris sui debet.* & in *L. 5. C. de heredit. vel action. vendit.* actiones mandatæ expresse distingvantur ab utilibus actionibus, dum dicitur, nomine in solutum dato creditorem ex persona sui debitoris cedentis, adversus debitorem non aliter nisi mandatis actionibus experiri posse, suo autem nomine utilem actionem recte uti. Si ergo actio mandata & utilis differunt, non alia distinctio commodior videtur statui posse, quam ea, quam *Dn. Huberus* habet. Verum nec hæ rationes aliquid probare mihi videntur. Concedo ex Edicto D. Pii emtori hereditatis competere actionem utilem. Sed exinde non sequitur quod Dd. ex eo inferunt, illam competere ante cessionem. Ante cessionem nihil juris habet emtor hereditatis, quomodo ergo dici potest illum ante cessionem habere actionem utilem? Unde quod de Edicto D. Pii *d. l. 16.* refertur, id ego quidem ita intelligo; Inter subtilitates Juris Romani & hæc regula erat: cum,
qui

1247.

qui semel heres extitit, nunquam desinere esse heredem uti patet ex *L. 88. ff. de H. 7.* Unde probabile est, veteres Jctos dubitasse an emtor hereditatis posset actiones hereditarias instituere, donec D. Pius, ut & illis subtilitatibus consuleret, nec tamen læderet æquitatem naturalem, constituerit, ut emtor haberet actiones utiles, directis manentibus penes heredem. Sapius enim Imperatoribus moris fuit, ut mediam viam eligerent inter nimias & superstitiosas subtilitates Jctorum & simplicitatem juris naturalis, uti illustre extat exemplum in §. 30. *Inst. de Action.* Unde etiam puto emtori hereditatis nullam aliam actionem competere, quam utilem, nec ex analogia Juris Romani ipsi unquam aliam competere posse. Cum enim fictione Juris venditor semper maneat heres, actiones directæ ipsius ossibus semper coherent, nec ab ipsis separari possunt, ut *Glos. la* loquitur in *L. si quis ergo ff. de pecul.*

§. V.

Quantum autem attinet differentiam inter actionem mandatam & utilem, de qua etiam in *L. 18. de Legat. meo* quidem judicio, puto, rem ita esse concipiendam. Mandata actio sumitur vel latè vel strictè. Si late sumatur, puto, mandare actionem etiam comprehendere cedere actionem, cum in *L. 76. ff. de solut.* mandare & cedere actiones eodem sensu modoque appellentur. Strictè vero si sumatur, puto, mandare actiones nihil aliud esse, quam alteri mandare, ut meo nomine tanquam mandatarius meus actionem meam contra debitorem meum instituat, nulla facta mentione cessionis in bello; ita tamen, ut postquam victoriam reportavit, retineat sibi ex cessione inter me & ipsum in ita. Et sic hæc mandata actio nihil aliud est, quam mea actio meo nomine instituta directæ. Sicut enim illa actio, quam procurator in rem meam instituit, manet directæ, ita etiam hoc casu, quam movet procurator in rem suam, sed omissa in libello cessionis mentione. Et hoc modo statuo subtilitates illas intricatas de actione directæ & utili in hac materia, quas Dd. movent, commodissime explicari & intelligi posse, & qua ratione utilis a directæ differat, ut illam suo nomine instituat Cessionarius, fundans se in libello in cessione facta; directam

libello

1248.

rectam vero instituat nomine cedentis, nulla facta mentione
cessionis, sed tanquam merus procurator; Cum tamen victoriã
reportata illud debitum retineat, vocatur Procurator in rem
suam. Cum qua explicatione ipse *Huberius ad Tit. Mandat. n. 5.*
exacte convenit, ubi: *Actio, inquit, directa est, quando cessiona-
rius proficitur mandatum, sive nomen cedentis ponat in fronte libelli
suumque mandatum exhibeat, veletiam suum nomen preponat, addita
qualitate mandatarii: utilis actio est, quando mandati nulla fit mentio,
sed tituli tantum venditionis, donationis, similisque.*

§. VI.

Et ex hac nostra opinione commodissime explicari & in-
telligi possunt illæ differentix, quas Dd. faciunt inter actio-
nem directam & utilem, quarum quasdam referre lubet (1)
quod directa expiret morte cedentis, utilis vero maneat (2)
quod directam exerceat cessionarius ex persona cedentis, uti-
lem vero ex propriã (3) quod cessionarius actionem directam,
instituens cedentem defendere debeat in reconventionem, non
item, si utilem, de quibus latius videri potest *B. Brunne-
mann. in Tractat. de Cession. Action. cap. 5. §. 6. seqq. ubi n. 14. & seqq.* late
agit de illa questione, an cessionarius actionem intendens ante
litem contestatam instrumentum cessionis producere debeat?
ubi recte distinguit, utrum instituat actionem directam an
utilem; in illo casu mandatum procuratorium in primo statim
termino exhibendum esse, posteriore vere nullã exhibitione
mandati opus esse, sed tantum allegatione tituli, v. gr. vendi-
tionis, cessionis &c.

§. VII.

Ex quibus omnibus satis patet, unde dignosci possit, an
cessionarius instituat actionem directam, an utilem; sc. si sibi
obligatum esse dicat debitorem, seque creditorem appelliter,
tunc est actio utilis; si vero in personam cedentis concludat,
tunc est actio directa, vid. *B. Brunnem. de Tractat. cap. 5. §. 19.*
Imo ex hac nostra explicatione etiam intelligi potest senten-
tia Dd. quã putant, si cessionarius utatur actione directa,
tum obstare ei cunctas exceptiones, quæ cedenti potuissent,
opponi; sed in casu utilis actionis distinguunt, inter ex-
ceptio.

1249.

ceptiones reales quæ causam feriunt, seu quæ ipsi rei potius
cohzrent, quam personæ & personales, seu quæ habent re-
spectum mere personalem. *Dn. Huber. ad tit. ff. Mandat. n. 11. Job.*
à Sande Tractat. de Cession. Nomin. cap. 13. n. 7. Franciscus Caldas de
Emtion. cap. 24. n. 55. Lauterbach. ad Tit. de hered. & act. vendit.
Verum hæc explicatio & sententia Dd. hæctenus quidem recte
se habere videtur. Sed si ad exempla exceptionum personalium
delabuntur, illæ exceptiones, quas vulgo personales vocant,
tales non videntur. Sic exceptionem doli vulgo referunt ad
Exceptiones personales, cum ex dolo tanquam facto personali
fluat; & simul hanc exceptionem cessionario non opponi pos-
se putant. Verum si illa argumentatio subsisteret: quæcumque
exceptio oritur ex facto personali, illa cessionario non potest
opponi, tunc nec exceptio solutionis, jurisjurandi, pacti de
non petendo & aliæ cessionario opponi possent, cum & hæc de-
scendant ex facto personali. Nam solutio fit a persona, item
juramentum. Unde puto exceptionem doli a cedente com-
missi contra debitorem cessum, æque obstare cessionario, ac
aliam exceptionem v. gr. solutionis. Nec enim apparet ratio
diversitatis, cur solutio a cesso cedenti jam facta, magis obstet
cessionario, quam dolus contra ipsum commissus, sive sit inci-
dens, sive dans contractui causam. Nam hoc casu actio ce-
denti competens est ipso jure nulla, & sic cedi nequit: illo vero,
actioni obstat exceptio doli, quæ cum actione transit ad cesso-
narium. Nec enim cedens per cessionem illam conditionem
actionis meliorem reddere potest, quam penes ipsum fuit. Un-
de eleganter dicitur in *L. 2. §. 2. ff. de doli mali & metus exceptione:*
Ex persona ejus, qui exceptionem objicit, in rem opponitur exceptio;
neque enim queritur adversus quem commissus sit dolus; sed an in ea re
dolo malo factum sit a parte actoris. Unde nescio, quid Ulpiano
in *L. 4. §. 28. ff. de doli mali & metus exceptione,* in mentem vene-
rit, cur in casu *d. L.* deneget exceptionem doli mali contra
actorem, petentem hereditatem, nam illa hereditas, cui alter
per dolum alterius renunciaverat, non poterat vendi, cum
venditor nullum jus haberet, per dolum enim nemo sibi potest
jus aliquod acquirere. Unde etiam sententia Dd. qui putant

B

ex

1250.

ex contractu, cui dolus alterius causam dederit, transferri dominium, corrumpit. Est enim contra prima principia juris, per traditionem, quæ nullam legitimam causam seu titulum habet, transferri dominium.

§. VIII.

Cum cessione autem actionis non confundenda est delegatio. Neque enim harum differentia est inter superstitiosos subtilitates Juris Romani, sed in natura rei sat fundata; scilicet delegatio fit non nisi volente debitore delegato, & consentiente in novum illum creditorem delegatarium; Cessio vero etiam invito & ignorante debitore cessio. *L. 1. L. 6. C. de novat.* Et cum ad delegationem non requiratur stipulatio, sed simplici consensu etiam fieri possit, patet exinde, si debitor, cum debitum cederetur, præsens esset, & promitteret, se soluturum hunc actum non esse cessionem sed delegationem, vid. *L. 17. §. L. 22. ff. de Novat.* In *L. 1. Cod. de novat.* quod dem dicitur, delegationem non posse fieri, fieri, nisi consentiente & stipulante debitore, & in *L. 11. §. 1. ff. eod. tit.* dicitur delegationem fieri vel per stipulationem, vel per litis contestationem, verum unius inclusio non est alterius exclusio, ut patet ex *L. 17. §. 22. ff. de Novat.* Hæc disputatio autem an negotium aliquod sit cessio an delegatio, non est de lana caprina; magnam enim habet utilitatem in materia exceptionum. Cessus debitor contra cessionarium salvas retinet omnes exceptiones, quas habebat contra cedentem; delegatus vero eas amittit, cum sibi imputet, cur non expresse contra novum creditorem sibi reservaverit exceptiones priores; si enim hoc non fecerit, iis renunciasse præsumitur, in tantum, ut, si ignoraverit illas exceptiones, nihilominus illis contra delegatarium non gaudeat *L. 12. ff. de novation.* quod posterius tamen mihi durum & iniquum videtur. Cum enim alias ignorantia facti non noceat in damno vitando, aut lucro captando *L. 8. ff. de juris & fact. ignorantia*, cur non etiam hic? Adde quod renunciationes non facile sint præsumendæ, nec præsumi possint ab eo, qui ignorat, uti loquitur *B. Brunnem. d. Tract. cap. 6. n. 9.* Similem iniquitatem nobis sapere videtur cautela seu dolus bonus, quem suppeditat Paulus in *L. 19. in f. ff. d. tit. ubi*

con.

1254
consilium dat creditori delegatario, ut si sciverit, debitori de-
legato competere quasdam exceptiones contra delegantem,
eas dissimulet, nec earum mentionem faciat in novo pacto,
quod init cum delegato, addita ratione: *ne curiosus videatur.*
Quis non videt hoc consilium dolum in se continere? Nemo
enim cum alterius damno debet lucro suo inhiare? Æquior
Paulo est Modestinus in L. 43. §. 2. ff. de C. E. V. ubi inquit: *do-
lus malus non tantum in eo est qui fallendi causa obscure loquitur, sed
etiam qui insidiosè obscure dissimulat.*

Cap. II. SUMMARIA.

Status controversia. Præstatio evictionis hic improprie sumitur. Casus.
§. 1. Error alium effectum habet in negotiis lucrativis, ac onerosis.
In illis error vitiat negotium. Ratio. Instantia de reservationibus
mentalibus resolvitur. L. 65. §. 2. L. 52. ff. de Condiçt. in debit.
obstant. Respondetur. Papinianus nobiscum consentit in L. 72. §.
6. ff. de Condit. & demonstrat. Laus Papiniani. Cur falsa causa
plerunque non vitiet legatum. §. 2. Cur errori alium effectum tri-
buamus in onerosis ac lucrativis. Explicatur regula: Naturaliter
licitum est, alterum circum venire. Avaritia parum attenditur in
forò externò. Ratio. §. 3. Error nocet erranti in onerosis ex natura
negotii. Ratio. §. 4. Quid juris si uterque erraverit ut in conditione
indebiti. Jus Romanum est obscurum in eo, quod denegat in qui-
busdam casibus conditionem indebiti. §. 5. Applicatio horum prin-
cipiorum ad nostrum casum. Cessionarius de jure natura repetere
potest pretium. Rationes. §. 6. An jus Romanum ab his principiis
recedat. Communiter Dd. recedunt. Sæpè Dd. LL. malè explicant.
§. 7. In dubio LL. civiles ita explicanda, ut cum jure natura conve-
niant. Rationes §. 8. Harmonia Juris Romani cum jure natura.
in hac materiâ. §. 9. ulterius probatur §. 10. Plures rationes affe-
runtur. L. 3. C. de Novat. pro nobis est Judicium Brunnemanni
hâc de re. Inter cohæredes locum habet præstatio evictionis. §. 11.
Refertur Dd. contraria sententia ex Meviò. §. 12. Respondetur &
explicatur L. 4. ff. de action. vel hæredit. vendit. Celsus, autor il-
lius

1252.

lius legis, equitatis fuit studiosus. Refutatur iudicium Guilielmi Grotii de ipso. Multa LL. Romanae sunt impia. §. 13. Resolvitur L. 96. §. 2. ff. de solution. Quenam ignorantia noceat. Carpzovius male sibi constat, ut & Mevius. §. 14. Bartoli sententia defenditur contra Lenziium. Iudicium Brunnemanni de miseria Jurisprudencia. §. 15. Refutantur Dd. qui putant, cedentem non teneri ad evictionem, licet evictionem expresse promiserit. L. 4. ff. de Usur. male huc applicatur. Iudicium Brunnemanni de hac re. §. 16. Si post factam jam cessionem facultatibus labatur cessus. Quis hoc probare teneatur. Sententia Mevii limitatur ex Brunnemanno. §. 17. an denunciatio sit necessaria? Negatur. Rationes: Conclusio. §. 18.

§. I.

Postquam generalia hæc de præstatione evictionis & cessione nominis præmisimus, ad ipsum nostrum argumentum nos accingemus, quatenus sc. cedens cessionario teneatur præstare evictionem nominis cessi, seu quatenus venditor nominis non tantum teneatur ad verum nomen præstandum, sed etiam bonum, id enim hic vocant Dd. præstare evictionem nominis cessi. Alias quidem in jure Romano evictionem præstari, dicitur proprie in illo casu, quando per sententiam judicalem res emta ab emtore vindicatur, quod tamen in nostro præsupposito non fit; nec tamen est cur hanc phrasin rejiciamus. Quando enim constat de alicujus mente, de verbis non est disputandum. Ut autem eò evidentior fiat status controversiæ, hic sit casus: Titius debet Mevio 100. casu definit esse solvendo. Mevius ignorans conditionem hanc debitoris sui, cedit hoc nomen Cajo, qui etiam est in errore constitutus. Hic instituit actionem cessam contra Titium. Titius fatetur, se debere quidem, sed non esse solvendo. Quæritur an Cajo habeat regressum contra Mævium, saltem, ut acceptum precium restituat? Equidem si ex communi Dd. opinione responsum esset faciendum, parum solatii Cajo inveniret. Sed agemus ipsius patronum principii rationis & juris Romani innixi; Tentabimus ostendere, quod illa traditio Dd. e textibus rationibusque Juris ma-
le

1253
le perceptis derivata sit. Videbimus, annon jus nostrum Justinianum hoc in casu cum jure naturæ conciliare possimus, a quo alias secundum communem Dd. explicationem nimium quantum recedere videretur.

§ II.

Inter alios modos rescindendi conventiones non postremum locum obtinere solet error, idque non tantum de Jure Romano, sed & naturali. Cum autem propositi nostri ratio non ferat omnes LL. Romanas in hac materia sub examen vocare, paucis videbimus quam efficaciam errori tribuat jus naturæ. Nos, missis aliorum distinctionibus, differentiam esse faciendam putamus inter pacta lucrativa & onerosa. In pactis lucrativis id æquum nobis videtur, ut, quando quis errore inductus alteri quid promiserit, errore comperto non teneatur, v. gr. Titius falso nuncio persuasus, ipsius negocia a Mævio fuisse gesta, eo nomine ipsi promittit in signam gratitudinis centum. Hic errore post comperto, puto, Titium non teneri, licet expresse præ se non tulerit, se remunerationis ergo hoc donum promittere, (nam tunc dolus Mævii concurreret, & sic ad materiam de dolo hæc quæstio pertineret). Cum enim in intuitu negotiorum gestionis hæc promissio facta sit, æquum est, ut promittens liberetur, aut si jam dederit, ut repetat. Accipiens enim nullam causam prætereundere posset, ob quam acceptum retinere vellet; Nam si opponat donationem, Titius dolum ipsius replicat, cum dolose agat, qui sine causa acceptum restituere detrectat. Sed ne quis putet, nos hac sententia reservationibus mentalibus viam aperire, præsupponimus talem casum, ubi quis potest probare, se contemplatione illius negotii gesti alteri promississe, v. gr. si forte ante promissionem cum aliis hac de re jam verba fecit, & alterius benevolentiam & humanitatem erga se laudans, donationis futuræ mentionem injecit. Tunc enim per hos testes satis probare potest, se intuitu falsi illius nuncii donum illud promississe. Quo casu præsupposito, Illorum sententiam nos non ferire putamus, qui statuunt, cum causa contrahendi nihil faciat ad naturam pactorum in genere, ideo hoc casu errorem donationem non posse rescindere. Nam cum non

1254.

agamus de natura pactorum in genere, sed de speciali casu, existimamus, causam donationis hic maxime spectandam esse. Cum *L. 65. §. 2. & L. 82. ff. de condict. indebit.* res facile transigetur. Nos enim loquimur de jure naturæ; hæc LL. autem sunt civiles. Et si quis regerat, has LL. ergo contrariari naturali æquitati, ille nos non ferit, sed Jctos, Authores illarum LL. quibus etiam illas LL. defendendas relinquimus. Nobis sufficit, quod alia LL. nostram sententiam confirmant scilicet *L. 72. §. 6. ff. de condict. & demonstrat. L. 1. C. de falsa causa adjecta L. 4. C. de hered. instit.* Dum autem Papinianus, cujus excerpta in ff. magnificimus ob sobriam, qua utitur disputandi methodum, in *L. 72. §. 6. ff. de Condit. & demonstrat.* regulam juris Romani: Falsa causa non vitiat legatum, hac ratione defendit, quod ratio legandi legato non cohareat, in eo nobis non contradicit. Usu enim notum est, ejusmodi causas frequenter à Testatoribus apponi, ut speciem magis & colorem ad vitandam invidiam liberalitati suæ erga alios concilient, quam quod omne momentum ab illis pendere velint. Præsupponit ergo Vir Doctissimus talem casum, ubi non certo constat, an testator erraverit nec ne, quod tamen nos in nostro casu præsupponimus, in quo & ipse in *d. L. 72.* limitationem suæ regulæ addidit.

§. III.

Si vero in pactis onerosis error intervenerit, non levis est inspectio. Cur autem statuamus, errorem in his non habere eundem effectum, quem habet in pactis lucrativis, ratio hæc est, quod naturæ contractuum onerosorum ostendant, contrahentes majorem prudentiam & circumspectionem adhibere oportere, quam in lucrativis. Cum enim illa ineantur, ut quis lucrum acquirat, natura negotii ostendit, hic majorem requiri diligentiam, quam in lucrativis. Quilibet enim contrahentium quasi præ se fert, se lucro inchiare, & sic tacite veluti alterum monet, ut sibi caveat, ne damno afficiatur. Si quis ergo illud tacitum monitum negligat, nec circumstantias rei, eò quò oportet modo, considerare velit, sibi imputet, si damnum aliquod patiatur. Et huc pertinet regula Jctorum in *L. 16. §. 4. ff. de minorib. in pretio emtionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circum-*

1253

7

circumvenire, ubi, notante *Goetofredo* per circumventionem non intelligitur dolus; sed prudentia tantum & industria quædam oeconomica, studiumque aliquod tantum rei familiaris augenda. Quamvis autem illud studium plerumque cum avaritia sit conjunctum, avaritia autem sit vitium morale, attamen quatenus per illam alterius jus non enormiter & palpabiliter læditur, illa in foro humano non attenditur, cum, præsuppositâ communi malitia humani generis, ejusmodi vitia sint, quasi necessaria mala, propter quæ, si inter homines actiones darentur, omnia fora non sufficerent iis explicandis & vitiis coërcendis. Unde quamdiu alter non insigniter læditur per alterius avaritiam & studium inhiandi lucro, sibi imputet, quod cum tali homine contraxerit, & periculo læsionis alicujus semet subjecerit. Si vis rationem philosophicam, cur avaritia parùm attentatur in foro humano, audiamus *Senecam* hæc de re philosophantem; *Epistol. 115. Avaritia satis est ipsa pœnarum. O quantum lacrimarum, o quantum laborum exigit! adjice quotidianas sollicitudines, quæ pro modo habendi quemque discruciant. Majore tormento pecunia possidetur, quàm quaritur. Quantum damnis ingemiscunt, quæ & magna incidunt, & majora videntur! denique ut nihil illis fortuna detrabat, quicquid non acquiritur, damnum est. & de ira L. 2. c. 31. Si puniendus est, inquit, cuicumque pravum maleficumque ingenium est, pœna neminem excipiet. addatur Dn. Thomas, in Dissertat. de jure hæredipetar. §. 10. 11. 12.*

IV.

Ex his principiis dijudicandum est, quam efficaciam habeat error in rescindendis contractibus ex principiis sanæ rationis, scilicet, nullum errorem, cui alter dolo aut sua culpa causam non dederit, contractum annullare posse, cum errans sibi imputet, quod non melius inquisiverit, & non cautiùs mercatus fuerit. Cum enim alter, quod præsupponimus, non fuerit in dolo, sed b. f. cum ipso egerit, nec odorari potuerit, quam rei circumstantiam alter præcipuè attenderet, & circa quam erraret, extra omnem culpam est, nec adest principium, ex quo errans propter suum errorem ab obligatione semel contracta se liberare vellet, & alteri suum errorem imputare. Nam si rescinderet contractum,



1256.

tractum, tunc effectus ipsius erroris redundaret in alterum, quod nihil aliud esset, quam alteri imputare suum errorem. Cum autem nemini posset actio imputari, circa quam nullam culpam commisit, nihil aliud restat, quam ut errans errorem suum tanquam casum fortuitum patienter ferat. Sed instas forte, si error reputatur pro casu fortuito, tunc nec erranti nocere debere, juxta regulam Jctorum, casum fortuitum in nullo negotio præstari. Sed res salva est. Quæro ex te, si quis per plateam ambulans, lapide quodam ex alterius ædibus casu delapso, lædatur, quis præstet illum casum, an Dominus ædium an læsus? si ad hanc quæstionem respondeas, & nos tibi respondebimus ad tuam instantiam. Interim maneat salva thesis nostra: Error in dubio nocet erranti.

V.

Sed quid tum, si uterque erravit, v. gr. in solutione indebiti? tunc regula nostra applicari quidem non potest; nihilominus tamen ex alio principio res decidenda venit, scil. considerandum est, quid æquum sit & justum, quod exinde æstimatur, uter contrahentium damnum pateretur, subsistente negotio, cui utriusque error causam præbuit. Et hoc principium ostendet, pro quo v. g. in solutione indebiti sit judicandum, scil. pro solvente. Cum enim accipiens, quod præsupponimus, æquè sit in errore, ac solvens, certè non potest solventi opponere errorem proprium, nam ille hunc replicaret; dein locupletaretur cum alterius damno contra regulas æquitatis. Unde licet ex superiori regula casum hunc decidere nequeamus, dictum tamen principium sat rationis suppeditat, pro quo sit judicandum. Et secundum hoc principium in LL. Romanis omnes casus sat accurate sunt decisi in materia solutionis indebiti, nisi quod in eo à naturali æquitate recedere videantur, quod in iis casibus, in quibus alias lis inficiendo crescit in duplum, ut in legatis piis locis relictis, Legis Aquil. & depositi miserabilis denegent repetitionem illius quod indebite solutum est. per L. 4. C. de Condict. indebit. §. f. Inst. de obligat. quæ quasi ex contract. Ratio enim hujus juris sat obscura est, etiam ea quam plerique reddunt, quod solvendo quasi transactum sit de duplo. Nam eadem opera qua in his casibus præsume-

1257
sumeretur transactio, in aliis similibus illam fingere quis posset,
& sic totum Tit. de Conditione Indebiti subvertere. Sed trans-
eamus jam ad applicationem horum principiorum de errore ad
casum nostrum supra propositum, & videamus annon primò ex
jure naturæ cessionario succurrere possimus ad repetendum pre-
tium, quod pro cesso; sed non bono nomine dedit, quibus dein
LL. Romanas subjungemus, tentaturi harum conciliationem
cum jure naturæ.

VI.

De jure naturæ nullum nobis subesse videtur dubium, quin
cessionarius precium solutum repetere possit debitore cesso jam
ante cessionem non existente solvendo. Licet enim erraverit &
sic error ipsi nocere debere videatur, ille error tamen ipsi ad hoc
non obesse potest, quo minus accipiens cedens pretium resti-
tuere teneatur, nec opponere possit, in pari causa meliorem esse
conditionem possidentis. Non enim est par causa, cum major
æquitatis ratio militet pro solvente, quam accipiente. Si absque
cessione fuisset, cedens nihil accepisset à cesso debitore; cur ergo
ipsi cesso ad hoc prodesse debet, ut fiat locupletior cum alterius
damno? Cessionarius in eo utique negligentiam aliquam com-
misit, quod non inquisiverit in conditionem debitoris cessi; sed
eadem culpa, imo major, cedenti objici potest. Is enim æque
inquirere potuisset & debuisset, ac cessionarius, cum majorem
ejus habuerit occasionem. Diligens enim paterfamilias non
tantum ea curat, quæ domi sunt & fiunt, sed & maxime prospici-
cit, ne æs alienum pereat, cui fundamento innititur tota fere
materia de præscriptione tum rerum tum actionum. His acce-
dit, quod ratio sibi relicta non possit perspicere differentiam, cur
cedens non æque obligatus sit ad præstandum bonum nomen ac
verum. Si enim illud non adest, perinde est, ac si non esset ve-
rum. Ponimus casum: debitor patri cedentis jam dudum de-
functo solvit ignorante cedente. Hic cedens tenetur ad evictio-
nem; sed cur non æque si debitor in paupertatem lapsus esset?
Intuitu cedentis & cessionarii utroque casu æqualis est ratio. Quid
enim interest, an cessus non sit solvendo, an habeat legitimas
exceptiones? Cessionarius utroque casu idem damnum patitur.

C

Sicut

1258.

Sicut enim Paulus fatetur in *L. 112. ff. de R. J.* nihil interesse ipso jure quis actionem non habeat an per exceptionem infirmetur, ita in nostro casu dici potest, nihil referre, utrum debitor jure non teneatur solvere, an verò non possit. Ex quo enim principio cedens priori casu tenetur ad evictionem, idem etiam ad posteriorem applicari potest. Actio enim quæ propter paupertatem debitoris inanis redditur, in effectu ipso jure est extincta. Gloriarum quidem potest creditor, quod habeat debitorem; sed hæc gloria est inanis, cum ad effectum deduci & verè in bonis connumerari non possit.

VII.

Si LL. Romanas evolvamur, primo intuitu dicendum esset, has à supradictis principiis juris naturæ recedere, & cessionario nullum solatium relinquere, cum communis DD. Schola in ea sit sententia, cedentem non bonum sed verum tantum debitum præstare debere; per bonum autem intelligunt, quando debitor est solvendo, per verum autem, quando debitor nulla quidem exceptione elidere potest actionem, sed ob inopiam tamen nihil solvere potest: *Das es eine warhafftige / gewisse und richtige Schuld / nicht aber daß sie gut sey.* Vid. Nicol. Burgund. *Tractat. de Eviction. cap. 11. n. 1. & seqq.* Franzk. *de eviction. n. 24. & seqq.* H. Zæsius *Comment. ad ff. tit. de hereditat. vel. act. vendit. n. 17.* Carpzov. *p. 2. C. 34. def. 26.* Mantic. *da Convention. Lib. 4. tit. 13. n. 7.* Cardinal. Tusch. *lit. C. Conclus. 281. n. 1.* Berlich. *part. 2. decis. 290. n. 12.* Lenz. *de nomin. & action. cess. cap. 27. m. 7. n. 1. seqq.* Adeoque si autoritatibus & communibus opinionibus hic pugnandum esset, nulla spes adesset victoriam obtinendi. Sed principia juris naturalis & genuina explicatio juris Romani pluris nobis est, quam opiniones DD. è male *EXPLICATIS* LL. ortæ. Elegans est judicium Dn. Huberi in *Prælect. ad ff. tit. de injust. rupt. & irrit. fact. test. n. 5.* Multa Doctorum, inquit, commenta è textibus rationibusq; juris aliquando male perceptis derivata videmus. Et B. Brunneman. in simili materia, *Tractat. de cession. cap. 5. n. 24.* est hoc fatum, inquit, jurisprudentiæ nostræ, quod non tantum ipsa mole LL. onerata sit, sed & multiplicibus distinctionibus interdum sine ullo opere precio magis involvatur & redatur spinosior.

IIX. Ut

1259

IIX.

Ut ergo ostendamus, hanc communem sententiam LL. male intellectis originem debere, præsupponimus, omnes LL. Civiles seu positivas in dubie ita esse explicandas, ut quam minimum recedant à jure naturæ; quam regulam in Jurisprudencia civili cujuscunque generis, utilem & necessariam esse putamus; fundat autem sese in naturali præsumptione, qua Legislator Civilis regulis naturalis æquitatis sese accommodare censetur; & sicut statuta particularia alicujus loci explicationem suam recipiunt ex communibus LL. totius Provinciæ, ita Leges Civiles ex jure naturæ, tanquam jure universalissimo. Pleraque enim LL. positivæ feruntur, ut sanctionem aliquam addant naturalibus præceptis, & sic in dubio ex hisce vel restringuntur vel extenduntur. Quo pertinet communis DD. regula: *omnes LL. omnesque conventiones in dubio ita esse explicandas, ne quid absurdi inde fluat*, per absurdum enim commode intelligi potest illud, quod à naturali æquitate recedit. Unde qui pro sua sententia jus naturæ allegat, pro eo in dubio pronunciandum, donec alter probet, huic per LL. civiles esse derogatum. Sic cum de jure naturæ in statu naturali pro tuenda pudicitia alterum occidere liceat, hæc naturalis licentia tamdiu libera, in statu etiam civili præsumitur, donec adversarius LL. Civiles contrarias ostendat. Item cum, e. gr. de jure naturæ ex contractu dolo inuito Dominium non transferatur hoc tamdiu firmum manet, donec ex LL. Civilibus contrarium ostendatur; ut alia exempla infinita prætereamus, quibus hæc regula illustrari posset.

IX.

Idem contingit circa casum supra propositum, & cum ex principiis juris naturalis probaverimus, cedentem ad evictionem teneri, hæc naturalis æquitas in jure Romano tamdiu approbata censetur, donec ex LL. contrarium probetur. Ostendamus ergo primo harmoniam juris Romani cum jure naturæ, & dein consideremus rationes & textus, qui pro contraria sententia allegantur. In *L. 49. ff. solut. matrimon.* hic casus est: uxor marito suo loco dotis cedit aliquod nomen. Debitor tempore cessionis non amplius fuit solvendo. *Qv. an uxor, soluto matrimonio, quid petere possit à marito?* Negatur *d. L.* Nulla quidem additur

C 2 ratio



1260

ratio à Paulo, sed ea ex suprà dictis facile suppleri potest. Equidem novimus DD. communiter in hac *L.* exceptionem aliquam suæ regulæ statuere, rati, in marito aliud quid juris esse, quam in aliis cessionariis, dum maritus non videatur hoc casu nomen approbare sed accipere, quale id est; dein quod accedat, quod maneat dos in Dominio naturali uxoris. Verum non videmus rationem, cur in hoc casu statuenda sit exceptio, dum potius ad ipsam regulam pertinere putamus. Nec enim allegatæ rationes sufficiunt ad formandam exceptionem. Prior enim illa ad omnem cessionarium applicari potest, dum, qui ignorat cessum non esse solvendo, nomen non simpliciter approbasse censendus sit; altera quoque nihil singulare habet in dote. Nam constat, actiones ossibus alicujus ita inhærere, ut separari nequeant, & inde, ipsum jus directum penes cedentem semper manere, in tantum, ut cessus ipsi solvere possit, modo ignoret, cessionem non intervenisse, ut constat ex famosa *L. 3. C. de novat.*

§. X.

Concedunt DD. si debitum cessum sit conditionale vel in diem, tunc periculum non spectare ad cessionarium. *Sandius de Cession, cap. 9. n. 29. B. Brunnem. d. tract. cap. 5. n. 51.* Rationem addunt, quod hoc casu cessionario nihil imputari possit, quod pendente conditione nihil exegerit. Verum hæc sententia pro nobis iterum facit. Est enim eadem ratio, utrum debitum fuerit purum, an conditionale, & sufficit, quod tempore cessionis debitor non amplius fuerit solvendo. Sicut enim puro cessionario opponi posset, quod sibi imputet, quod non curatius inquisiverit in conditionem cessi debitoris, ita idem in conditionali dici posset. Si ergo Jurisprudencia nostra benè inter se cohærere debet, statuendum est, in puro debito idem juris esse, quod in conditionali. Et huc spectat iterum. *L. 41. §. 3. ff. de jure dotium, non videri maritum, nomen secutum eò tempore, quo exigere non poterit.* Quæ ratio iterum ad omnem cessionarium applicari potest. In eo quidem est differentia inter cessum debitum purum & conditionale, quod si debitor esset solvendo, cessionari9 illud statim petere posset, non item hoc; quoad illum vero casum, quando debitor non amplius est solvendo, perinde est utrum debitum cessum sit purum an con-

ditio-

1764
7
ditionale; cum enim nihil habuerit debitor, quod dare potuisset, frustra fuisset, si à cessionario interpellatus fuisset. Perinde enim est respectu cessionarii, utrum quis jure nondum teneatur solvere, an non possit ob inopiam.

§. XI.

Tertio constat ex *L. 57. ff. de contr. emt. vendit.* si venditor rem aliquam vendat, quam ignorat periisse, venditionem esse nullam; idque merito; venditio enim præsupponit objectum; quia non entis nullæ sunt affectiones, & per consequens nec venditio. Jam si quis alteri cedat debitum, quod ob inopiam debitoris exigere nequit, perinde est ac si in rerum natura non fuerit. Unde etiam *B. Brunnem.* ad *D. L. n. 6.* recte statuit, si quis nomen jam cessum alteri cedat, nihil agere, licet conventum, ut cessionarius non habeat regressum, & in eum finem allegat Responsum Facultatis Juridicæ Francofurtanæ. Quibus omnibus accedit ultimum argumentum ex *L. 3. Cod. de Novat.* ubi dicitur, si cedens delegatione factâ, jure novationis liberatus sit, eum frustra vereri, ne eo, quod delegatarius à cliente suo non faciat exactionem, ad ipsum periculum redundet; unde à contrario sensu ex illa Lege colligere licet, si delegatio non interveniat, sed simplex cessio, aliud esse; nec sine ratione. Constat enim, delegationem fieri consentiente & de novo promittente delegato, unde delegatarius commodissimam occasionem inquirendi in ejus conditionem habet; accedit, quod delegans, jure novationis ab ipso liberetur, ut loquitur *d. L. 3.* Equidem novimus commune DD. brocardicum, in LL. Cod. non licere argumentari à contrario sensu; Verum ut in multis casibus id concedamus, in præsentem tamen specie id negamus. Principia enim juris & distincta natura cessionis à delegatione nos docet, analogiæ Juris esse conforme hoc argumentum à contrario sensu, quippe quod ipsa lex satis clarè nobis suppeditat. Quod & ipse *B. Brunne.* ad *d. L. 3. n. 7.* sensit, dum dicit: *sed ille nodus tamen manet in hac lege, quomodo cedens versari debeat, ne, dum Cessionarius non exigit, ad se redundet periculum; nam quomodo in solutum dato nomine, periculum istud sustinebit cedens, cum tamen non idoneum nomen, sed verum prestare teneatur.* Hic nodus ex nostris principiis facile solvi potest,

1262

nec necessum est in tantas difficultates & angustias se conjicere, præsertim cum ipse Dn. Brunemann. ad L. 14. C. famil. heriscund. n. 5. statuatur, si in divisione hereditatis uni heredum unum nomen, alteri aliud nomen assignatum sit, & alterius debitor esset inidoneus, evictionem esse præstandam ex d. L. 14. quippe quæ indistincte coheredibus adversus se invicem concedat præstationem evictionis, cui sententiæ & illa principia juris succurrunt, quod debita ipso jure inter coheredes sint divisa, & sic omnibus in omnia æquale jus competat. L. 6. C. fam. herisc. de quo eleganter B. Bruneman. ad d. L. 6. C. Bona corporalia, inquit, ita dividi possunt, ut penes unum coheredem nihil juris remaneat in re corporali alteri assignata: sed aliter in nomine, quod, licet uni heredum totum assignetur, omnes tamen heredes quatenus tales habent jus aliquod in nomine isto: habent enim directas actiones, quæ sunt osibus ipsorum infixæ, & quatenus unus heredum agit in solidum ex eo nomine videtur esse mandatarius & cessionarius suorum coheredum. Ex quibus omnibus patet, quanta sit convenientia juris Romani cum jure naturæ in materia præstationis evictionis in nostro casu; Jam videamus argumenta dissentientium, quorum bene multi sunt, ut supra jam eos indicavimus quia verò omnes iisdem utuntur ratiociniis, sufficet, si unum ex illis adversarium nobis elegerimus. Sit ille Mævius Jctus ille celebris & famosus in Tr. discuss. levamin. inopia debitorum cap. 7. n. 30. seqq.

§. XII.

Sic autem Mæv. d. l. Circa cessionem, inquit, nominum, frequens est disceptatio de eo casu quando cessionarius a debitore cesso, quæ cessa sunt, non consequitur in totum vel pro parte, aliis putantibus, teneri cedentem præstare, ut ea cessionarius accipiat, aliis negantibus. Ego eam rem satis perspicue per textus decisam & traditam esse reor, ut non opus sit per longè quasitas rationes de his disputare: ubi habemus decisionem in terminis frustra quarimus aliunde veritatem. Qui cum textu statuit, secure concludit. Apertè autem LL. præscriptum reperimus, quod, ubi nihil aliud actum est inter cedentem & cessionarium, solâ cessione veri nominis liberari cedentem, nec si id postea non deprehendatur idoneum ultra teneri. Quid in hoc manifestius constitui poterit, quam quod scribit ex Celfo Ulpianus in L. 4. de action. & hered. vendit.

si

1263

si nomen sit distractum, locupletem debitorem non debet prestare; debitorem autem esse prestare, nisi aliud convenit. Simile est quod Papinianus tradidit in L. 96. §. 2. ff. de solut. ubi cesso in solutum nomine decisum, etsi neque delegatio, neque liberatio facta sit, periculum tamen nominis ad cessionarium pertinere. Postea probare conatur rationibus hanc sententiam, ne solis LL. niti videatur: Nec ratio inquit, huic decisioni deest, bonum enim nomen facit, qui solutionis vice oblatum sine conditione acceptavit, L. 26. §. 2. ff. Mandat. ubi Paulus inquit: Bonum nomen facit creditor, qui admittit debitorem delegatum. Nec potest pretendere ignorantiam, cui imputare poterit, quod admiserit debitorem, cujus conditionem nescivit, ideo scivisse, quod scire debuit, praesumitur, nec conqueri, se lapsus, in cujus potestate fuit, aut non accipere, aut cum tali conditione, per quam reservaretur actio, quae datione in solutum expirat; & tandem num. 36. concludit, & hoc communi Juris sententia convenit, quod cedens nomen verum, non bonum prestare debeat, & in eum finem multos Dd. allegat.

§. XIII.

Verum hae rationes tanti momenti nobis non videntur, quin contrarium sustinere non audeamus. Principalis autem quaestio est circa genuinum sensum L. 4. ff. de action. vel. hereditat. vendit. Nos beneficio nostrae regulae quod LL. Civiles in dubio ita sint explicandae, ne ab aequitate naturali recedant, illam ita explicamus, ut putemus, ibidem agi vel de tali casu, quando cedens expresse protestatus sit, quod in casu inopiae debitoris nolit teneri ad evictionem, & sic cessionarius sponte periculum illius inopiae in se susceperit, & nomen acceperit, quale est, ut dicitur in L. 14. §. ult. de Eviēt. daß er die Schuld schlechter Dings angenommen habe / wie sie da ist; vel quando debitor cessus ex post facto, bonis suis lapsus fuerit, tempore vero cessionis adhuc fuerit solvendo. Utraque explicatio tum principiis juris naturalis tum Romani quae supra jam ostendimus, conformis nobis videtur; contraria vero Mevii difformis. Dicunt ubique Dd. statuta explicanda esse ex LL. communibus; cur non eadem opera dici potest, omnes LL. civiles, quae respectu legis naturae pro statutis sunt habendae, in

1264

in dubio ex hac esse explicandas, ne absurdum quid inde consequatur, quod in hoc casu fieret, dum omnia illa principia quæ supra enarravimus, destruerentur? Unde non est, quod Mævius adeo gloriatur, sententiam ipsius per textus clare esse decisam, & qui cum textu statuat, eum secure concludere. Scire LL. non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem ipse Celsus monet *L. 57. ff. de LL.* & in *L. 1. ff. de J. & J.* vocat jus artem æqui & boni, quare & ipse in casu *L. 3. §. 7. ff. de Condiçt. causa data causa non secut:* a patre suo dissentire non dubitavit, naturali æquitate motus; quæ omnia satis docent Celsum studiosum fuisse æquitatis naturalis, & sic ad nostram *L. 4.* applicari commode posse, quod ipse monet in *L. 9. ff. de servitut. quedam in sermone tacite excipi;* & quod inculcat in *L. 91. §. 3. ff. de V. O.* in materia de bono & æquo plerumque sub autoritate juris scientia perniciosè errari. Certe si hodie dum esset in vivis Celsus, & videret, hodiernos JCTos ipsius legem ita explicare, ut jam jam ex Mævio allegatum certe hoc suum axioma repeteret & JCTis illud opponeret. Unde, (quod obiter notamus) non est probabilis sententia *Wilhelmi Grotii de Vitis JCTorum L. 2. cap. 3. pag. m. 126.* ubi putat, Celsum nostrum in decidendis aliorum opinionibus natura sarcasticum fuisse, idque probare nititur ex *L. 10. §. 1. ff. de negot. gest.* sed qui legem illam evolvit primo intuitu videt, vocabulum deridere non esse Celsi, sed Ulpiani, unde vitium illud non Celso sed Ulpiano esset tribuendum; Cæterum quod Mævius addit eum, qui cum textu statuit, secure concludere, non tantum in nostro casu frustra allegatur; sed & in hypothesi ad jus Romanum multis exceptionibus subiectum est, cum multi adsint textus, cum quibus quis non adeo secure concludere possit. Speciminis loco legi possunt. *L. 4. §. 3. ff. de condiçt. ob turp. caus. L. 13. §. 6. ff. de jurejur. L. 6. ff. ad L. Jul. Majestat. L. 5. C. eod. Tit. L. 11. ff. de R. D. L. 1. §. 28. ff. de SCto. Siliano. L. 29. C. ad L. Jul. de adulter.*

§. XIV.

Et similis nostra responsio est ad *L. 96. §. 2. ff. de solut. cui* explicationi ipse *B. Brunnemannus ad d. L. calculum* addit, dum casum legis format, quando ex post facto debitor cessus sit in-
ido-

1265.

7

idoneus, & aliud esse putat, si tempore cessionis jam fuit in-
 idoneus quò pertinet etiam *L. 33. ff. de Jur. dot.* ubi mariti est pe-
 riculum, si extraneus dotem promisit, & postea defectus sit
 facultatibus, cum sibi imputet, quod non statim dotem exe-
 gerit, & debitorem convenerit. Reliquæ rationes quas Mevius
 pro sua sententia allegat, sunt levioris momenti; sicut enim
 alias ignorantia facti excusat, quod supra jam allegavimus,
 ita etiam in hoc casu. Nec enim & in aliis casibus ad tam rigi-
 dam inquisitionem LL. solent contrahentes adstringere. Ele-
 ganter dicitur in *L. 6. ff. de jur. & fact. ignorant:* *Nec supina igno-*
rantia ferenda est factum ignorantis, ut nec scrupulosa inquisito exigen-
da. Scientia enim hoc modo estimanda est, ut neque negligentia erassa aut
nimia securitas satis expedita sit, neque delatoria curiositas exigatur.
 Et præsumtio est pro cessionario, quod ignoraverit; nemo
 enim adeo prodigus præsumitur, ut inidoneum nomen quod
 pro tali habet, emat, & contra cedentem militat præsumtio,
 quod sciverit conditionem debitoris cessi, quilibet enim cen-
 setur scire vires patrimonii sui. *L. 15. C. de Rescindenda vendit. ibiqz*
Dd. præsertim, cum cedens hic certet pro lucro captando; ces-
 sionarius vero pro damno vitando, cujus ex naturali æquitate
 major favor esse debet, quam prioris, ut adeo hic applicari
 possit regula Juris Canonici: *presumitur ignorantia, ubi scientia*
non probatur, cujus famosum exemplum est in *L. 5. §. ult.*
& L. 6. ff. de administr. & per. tut. ubi pupillo asserenti, Tutorem
 suum scivisse, se Tutorem datum esse, incumbit probatio. Un-
 de etiam *Carpzov. part. 2. Constit. 28. def. 21. n. 5.* rectè asserit, in eo,
 qui solvit indebitum, præsumi errorem & ignorantiam, addita
 ratione, quod agatur de damno vitando. Sed quod *p. 2. C.*
34. def. 26. n. 1. & 2. statuatur, in cessionario præsumi scientiam,
 cessum fuisse inidoneum, male jurisprudentiam suam con-
 nectit. Nam si in solvente indebitum præsumendus est error,
 ut ipse concedit cur non etiam hoc casu in cessionario? Nec
 enim apparet ratio differentia. Quod enim cessionario oppo-
 ni posset, idem solventi indebitum potest. *L. 19. ff. de R. J.* quam
 pro hac sententia allegat nihil probat; Nec enim cessionarius
 cum cesso contrahit, sed cum cedente, ut adeo lex ulla huc non
 D qua-



1266

quadret. Quod autem Mevius *d. l.* putet, cessionarium illud nomen bonum facere quod illud simpliciter, acceptet, est petitio principii, & *L. 26. §. 2. ff. Mandat* qua hoc probare nititur, apertè ipsi contrariatur. Loquitur enim expressis verbis de delegatione; quis autem nescit, magnam esse differentiam inter delegationem & cessionem, ut supra pluribus ostendimus? quo etiam pertinet *L. 18. ff. de fidejussor.* Imo habet & ipse Mevius *d. l. n. 48.* telum aliquod, quo contra ipsam uti licet; dicit, cessionarium esse dominum nominis, hujus vero esse ferre casum. Quemadmodum de emtore dici nequit, quod ad ipsum spectet periculum, si res ante venditionem jam periit, ita nec hoc casu de cessionario, cum jam tempore cessionis nihil fuerit quod perire posset.

§. XV.

Quibus ita præsuppositis firmiter statuimus, cedentem teneri ad evictionem in casu supra à nobis proposito, & distinctionem *Bartoli ad L. 69. §. 2. ff. de solut.* qua distinguit, utrum cessionarius tempore cessionis jam desierit esse solvendo, an ex post facto talis factus, esse conformem tum principiis juris naturæ tum *LL. Romanis*; & *Lenzium in Tractat. de Cessionibus cap. 27. membro 7. n. 18.* non satis habuisse causæ, cur de hac distinctione dicat eam nullum in jure habere fundamentum, & tanquam cerebrinam merito rejici, quasi cerebrinis hujusmodi distinctionibus materiæ juris claræ & apertæ sapissime adeo involverentur & intricarentur, ut Oedipo interdum opus sit! Bona verbo quæso! Equidem novimus justas querelas *B. Brunemanni de Jurisprudencia nostra qui in Tract. de Cession. cap. 2. n. 45.* *Jurisprudencia nostra*, inquit *vicem debeo*, nam plerumque ejus cultores tot limitationibus adeo solent Constitutiones juris exinanire, & ad nihilum redigere, ut limitationes plures casus contineant, quam ipsa Regula, quod *Logicis absurdum videtur.* Et *cap. 5. §. 24.* Est hoc fatum *Jurisprudencia nostra*, quod non tantum ipsa mole legum onerata sit, sed & multiplicibus distinctionibus interdum sine ullo operæ precio magis involvatur & reddatur spinosior. Verum hanc *Bartoli* distinctionem inter cerebrinas *JCtorum* subtilitates non esse referendam, ex superioribus satis patet & quæ *Mev. d. l. n. 37.* profert

7
fert contra hanc distinctionem, eam non destrunt. Dicit: ubi lex non distinguit, oportet nos abstinere a distinctionibus, quae nec ex verbis, nec ex mente LL. deprehenduntur. Generalis est definitio quam ex allegatis textibus tradidimus, generaliter intelligenda & tenenda. Hæc enim omnia ex superioribus per se corruunt.

§. XVI.

Illud mirandum, quod dissentientes a nobis Dd. eo prolapsi sint, ut putent, cedentem non teneri ad evictionem, licet eam expresse promiserit, v gr. Er wolle der Cedent die eviction oder das Gewehr deswegen leisten / aut ita: Er wolle ihn vertreten und gewehren. Berlich. p. 2. decis. 291. n. 14. Richter. 1. decis. 36. n. 25. Lenz. d. Tract. cap. 27. membr. 7. n. 14. & 15. Lauterbach. ad Tit. de hered. vel act. vendit. Mey. d. l. n. 44. & c. dicunt, hanc evictionis promissionem nihil operari ultra ea, ad quæ cedens de jure sit obligatus, cum stipulatio simpliciter interposita super aliquo contractu intelligatur secundum ejus naturam, nec aliter, aut in plus obliget, quam isti conveniens, & in eum finem allegant L. 4. ff. de usur. ubi Papinianus: non est verosimile, inquit, plus venditorem promississe, quam iudicio emti prestare compelleretur. Addit Mey. d. l. n. 45. ut venditioni, & quæ huic assimilatur, dationi in solutum pactum simplex de evictione adjectum nihil aliud operatur, quam si omissum esset, ita nec aliud facit circa cessionem, quæ hujus species est. Verum quis non videt hanc consequentiam non valere? In venditione rerum corporalium ex communi Dd. sententia jam inest præstatio evictionis, unde utique expressa promissio nil novi addere potest. Verum cum Dd. negent, cessionis actionis per se inesse præstationem evictionis, hujus expressa promissio utiq; novum aliquid superaddere potest, quod alias (loquimur ex communi hypothese Dd.) huic non inest. Adeoq; a venditione rerum corporalium ad cessionem nominis, salva sua hypothese, argumentari non possunt, cum diversa hujus sit natura ex ipsorum sententia. Si concederent, regulariter cedentem teneri ad evictionem, tunc utique recte dicerent, quod promissio evictionis nihil adderet. Sed instare possunt ad salvandam suam hypothese, non esse præsumendum, per hanc evictionis promissionem cedentem ad plus sese obligare voluisse,

D 2

quam

1269.

quam per LL. obligatus sit. Verum ad hanc instantiam respondemus: Ratio dicitur, omnia pacta ita esse interpretanda, ut aliquem effectum habeant, si quem habere possint; nec enim prudentes & sani homines frustra inter se pacisci censentur, quo referunt *Dd. L. 19. ff. de LL. L. 12. ff. de rebus dubiis. L. 80. ff. de V. O. L. 56. §. 2. ff. eod.* Jam si promissio illa evictionis nullum alium effectum haberet, quam *Dd.* ipsi tribuunt, frustra fuisset addita, quod est contra communem præsumptionem. Nec *d. L. 4. ff. de usur.* quicquam contra nos evincit: Nam in casu *d. L. stipulatio interposita nullum novum effectum addere potuit.* Venditor enim jam sine stipulatione obligatus est, ad rem dandam & vacuam ejus possessionem tradendam. Et quæstio in *d. l.* non ventilatur de effectu commodi aut damni sed tantum de eo, an emtor ob partum ancillæ actione incerti ex stipulatu an simplici actione emti agere possit. Quæ est inanis controversia; sive sit actio ex stipulatu sive sit actio emti; sufficeret, quod emtor petere posset partum ancillæ. In nostro vero casu promissio evictionis novum aliquem effectum producere potest, qui alias ex sententia communi non aderat. Est ergo diversissima ratio illius *L.* à nostro casu. Qui enim promittit evictionem, ille ipsam bonitatem nominis promississe intelligitur, præsertim si sit persona aliqua, subtilitatum juris Romani ignara, quo pertinet judicium *B. Brunnemanni d. Tract. cap. 5. n. 61. in fin. Putarem, inquit, attendendam esse personam loquentis an legalis sit, & præsumitur tantum intellexisse evictionem, propriè sic dictam, an vero non legalis sit, & tunc judex non erraret, si alteram sententiam sequeretur.* Cui accedit, quod secundum *L. 39. ff. de pact.* in dubio contra venditorem interpretatio sit facienda.

§. XVII.

Sed si cessus debitor tempore cessionis quidem solvendo fuerit, sed ex post facto facultatibus lapsus sit, periculum esse cessionarii concedimus, *Mev. part. 1. decis. 33. Dn. Brunneman. Cent. 1. decis. 72.* Sicut enim in vendit. rerum corporalium periculum post emtionem perfectam contingens est emtoris, frustra dissentiente *Cujacio tr. 8. ad African. in L. 33. ff. Locat.* ita simili modo de cessione-

7
Rbg.

cessionario dicere liceat, & huc referimus *L. 92. §. 2. ff. de solut.* Sed quis probare tenetur, an cedens, an cessionarius, an ille, quod tempore cessionis debitor fuerit idoneus, an cessionarius verò, quod ex post facto talis factus fuerit? Putamus cum *B. Brunne-
manno d. decis. 72. n. 3. 4.* præsumtionem militare pro cessionario, quod debitor jam tempore cessionis idoneus fuerit. Quod autem *Mev. p. 3. Decis. 206. & p. 6. decis. 406.* putat, si cedens promiserit, se curaturum, ut cessionarius debito potiatur, tunc ipsum non tantum tempore cessionis bonitatem, sed & realem evictionem & casum supervenientem præstare debere, de eo recte monet *Brunneman. Tract. de Cess. cap. 8. n. 51. in f.* ad mentem paciscentium esse respiciendum, an cedens tantum operam & molestiam exactionis in se susceperit, an vero præstationem quoque effectus. Et nos putamus in dubio ad prius illud tantum teneri cedentem.

§. XVIII.

Sed hic merito quæritur an cessionarius litem movens contra debitorem idoneum, cedenti litem denunciare teneatur, in eum finem, ut assistat, & causam instruat? Initio id affirmandum videtur, cum in omni præstatione evictionis necessaria sit denunciatio, in tantum, ut illâ omisâ evictionis præstatio prætendi nequeat *L. 55. §. 1. ff. de evict. L. 8. 20. 21. 23. 29. C. eod.* Adeo, ut venditori litis motæ gnaro, nihilominus esse denunciandum *DD. statuunt. Fachin. 2. Controvers. 35. Perez. ad tit. de Eviction. n. 28. Wissenbach. ad ff. de Eviction. n. 19. Huber. in Prælect. ad ff. de Evict. n. 14. per L. 7. C. de Eviction.* Re tamen penitus inspectâ denunciatio in nostro casu non necessaria videtur. Præterquam enim, quod non sit propriè evictio, quæ hoc casu præstatur, ut supra jam innuimus, cessat quoque hoc casu ratio, quare necessitas denunciationis sit introducta, scil. ut venditor emptorem instruat, si quas fortè haberet exceptiones. In nostro vero casu non est quæstio, an exceptiones cessi debitoris sint fundatæ, nec ne, sed id tantum quæritur, an cessus sit solvendo. Hoc satis expediri & ventilari potest, licet cedens non adsit, quod secus est si debitor opponat exceptiones, v. gr. compensationis, solutionis, rei judicatæ & similes. Hic enim requiritur præsentia cedentis,

1270.

dentis, quippe qui omnium optimè novit, quid replicare oporteat. Unde licet concedamus *Bachov. in not. ad Wesemb. tit. de eviction. n. 5. & ex eo Hubero eod. tit. n. 15.* denunciationem venditori esse faciendam licet causa notorie injusta & desperata fuerit, (quam sententiam in præsentem tanquam dubiam relinquimus ob ea quæ monet Dn. Thomasius in scholiis ad Huber. *d. l.*) hæc tamen thesis nos non tangeret. Omnes enim hi authores præsupponunt casus, ubi jus est dubium propter exceptiones debitoris. Unde *Lenzius Tractat. de cession. tit. 28. membr. 4. n. 9.* recte quidem statuit, si nomen cessum sit dubium ob exceptiones, quas opponit debitor, tunc utique & in cessione nominis necessariam esse denunciationem; sed id ad nostrum casum extendi nequit. De cæteris effectibus evictionis in hac materia, v. gr. quænam actio, ad quid, & quamdiu competat, non est, quod moneamus, cum in materia de evictionibus hæc omnia satis à DD. tractari soleant.

Sit ergo

F I N I S.








Halle, Diss., 1696 A-7




TA-OL
Wolle nicht verknüpfte

VD 17







XXVII

1696 110
1740

DISSERTATIO JURIDICA
DE
tatione evictionis

in cessione nominis,
in principia juris naturæ & Romani,

Quam
AUCTORE MAGNIFICENTISSIMO
ISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
MINO FRIDERICO
WILHELMO,

ectoratus Brandenb, Hærede, &c. &c. &c.
USTRI ACADEMIA FRIDERICIANA
Consensu Illustris Facultatis Juridicæ,
PRÆSIDE

NE RUDOLPHO Brenneysen
Esenâ-Frisio, J. U. L.
d. 15. Maji Anno 1696.

IN AUDITORIO MAJORI
Examini Eruditorum submittit
TOPHORUS ELIAS Delhafen /
von Schöllnbach / Norimbergensis.

CHRISTOPH. SALFELD, REGIM. ELECT. BRAND. Typogr.

